

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive  
Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

**Epilogus**

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](#)

# EPILOGUS.

**H**ÆC sunt, Consimiles! Quæ vobis promisi, Diana  
Menstrua hactenus à nemine nisi ab Adeptis descripta,  
producta, & rite in usum adhibita; Jam verò à me  
ita detecta, explicata & in sua genera distributa, ut etiam à  
Chymicorum vulgo discerni possint.

Restant quidem plurima, quæ vobis non præbui Menstrua ( la-  
borat enim Diana Menstruorum superfluitate) sed bæc ceu ex-  
empla vobis sufficientia esse putavi. Vobismet ipsis licitum est  
plura colligere & singula suis applicare generibus. At si com-  
muni consulendum sit Bono, communicatis mihi velim si quæ in ve-  
stris scriniis vel Bibliothecis rariora Adeptorum Manuscripta vel  
impressa possideatis, ut hæc vobis non solum, sed universis in usum  
cedant; vel saltem sua mihi significetis nomina, ut vel prece-  
vel pretio eadem à vobis vel alibi mutuari possem, præsertim  
cum jam sitis certiores redditi, in Practicis Secreta omnia de-  
pendere à vini phil. spiritu; in Theoreticis autem omnia esse  
obscurissima, quia figurativa & minimè juxta literam intelligen-  
da. Quæ si diutius conservabitis in librariis vestris, indies  
mille exponuntur periculis, tandemque ceu inutilia mucus & situ  
squalida cedunt in alimentum Temporis rerum omnium consum-  
matoris.

Interea nolite hæc vobis exhibita despicere Menstruorum Re-  
cepta, quin potius eadem legite ac relegite, & ubique enucleate  
veritatem Chymicam, èa vero quæ non sapient vel non intelligitis  
tanquam cortices projicite, etenim si ex viginti quatuor hoc  
tantum vel istud vobis placuerit Genus vel Generis Receptum,  
satis est: Nam hoc unico totius secretioris chymie secreta præ-  
parari posse facile probabimus.

VV

Quod

Quod si etiam hujus vel istius Adepti ut potè Paracelsi, vel Lullii authoritatem, imò honestatem & fidem in dubium vocare placuit; hunc relinquere, atque illius rejicere Recepta licuit; aliquem alium eligentes cui majorem habeatis fidem, & ipsius Recepto cætera omnia comprobabimus. Discatis igitur horum menstruorum confectiones; observetis illorum ordines, gradus, materias, consciendi modos, dissolvendi, tingendi, sese multiplicandi, &c. virtutes; & agnoscetis ea optima esse totius Chymiae adeptæ instrumenta, tanquam claves sine quibus nihil, & cum quibus omnia reserantur hujus artis Arcana.

Hæc ut eò facilius efficiatis, quæ de menstruorum excellentiis in superioribus prolata fuere, hic in summam contraham, & redigam in duodecim subsequentes & infallibiles ex prædictis deductas Conclusiones.

## I.

## Menstruorum horum Descriptiones intelligi juxta literæ sonum.

**H**ujus libri Recepta nil continere occulti præter spiritum Vini philosophici (de cuius tantummodo usu in præsentibus tractare promisimus) nobis facilem impertietis assensum. Nec tamen ille ipse adeò obscurus est, quin propriè spiritus unctuosus dicatur ortus à Vino albo & rubeo Lullii, sive menstrui fætentis constitutivis. Reliqua quæ obscuriora videntur, Artis termini sunt, ut plurimum in ipsis Receptorum descriptionibus explicati, ut ex hoc spiritu producta & decomposita. Obscuritas autem quam vel brevior vel longior Recepti Descriptio affert, per accidens est facile à sedulo quovis artis discipulo superanda & removenda.

Nul-

Nullam prædictorum menstruorum  
absque vini phil. spiritu esse  
præparatum.

**I**ntr omnia hæc vobis data Adeptorum Menstrua, ne unicum quidem est, quod pro Basi non habeat Vini phil. spiritum. Dantur quidem Menstrua in quorum Receptis, nomen hujus spiritus non occurrit, ipse tamen adest & latet sub hujus vel istius Menstrui nomine. Alia dantur Menstruorum Recepta, quæ Vini phil. spiritum non liberum recipiunt sed compeditibus quasi vinclum, nimirum oleosum aliquod commune, ast cum in horum menstruorum confectione ipse vinculis solvetur, ut & acuitur spiritus, menstrua ejusmodi absque eo confecta esse, minime dicē possunt. Dantur tandem etiam Menstrua in quorum Receptis neque Vini phil. spiritus neque oleosum aliquod expresse denominatur, (sed hæc rariora sunt, studio allata, ut vel Adeptorum invidiam vel proterviam vobis indicent) ubi tamen ex Menstrui usu constat hunc spiritum ex necessitate addi, cum alias minime fieret quod promittitur.

Ultimè dantur etiam nonnulla, quæ cum communi spiritu, communi aceto & aqua forti vel sale armoniaco vulgi confici posse absque spiritu vini phil. affirmabitis. Esto. Sed cum ejusmodi menstruo in usum progrediamini, experimentum tentetis, mox istud reperietis non modo minus débile existere, sed prorsus inutile & destructivum in secretiori Chymia. Impossibile enim est communi Menstruo perficere, id quod Adepti Menstruo Philosophico præceperunt. Chymicæ adeptæ Arcana hoc gaudent privilegio, quod à nemine nisi Vini phil. Possessore confici queant.

## 3.

**Menstrua ex qualicunque præparari  
materia.**

**M**enstrua prædicta ex variis trium Regnorum Oleosis, Aridis & Acidis demonstravimus esse confecta, observatis ex rebus nec tangentibus nec acidis fieri Menstrua Vegetabilia simplicia; ex rebus tangentibus non acidis Menstrua Vegetabilia composita: Menstrua mineralia simplicia autem componi ex rebus acidis & non tangentibus: Composita ex rebus acidis & tangentibus. De vestra itaque tam anxiè hactenùs quæsita Menstrui materia jam certiores facti Mercurium crudum, vel Vitriolum, Nitrum, Sal commune, Sal Tartari: Vel urinam, Aquam pluvialem, Rorem maialem, Spiritum Mundi quoque quolibet artificio captum; vel quamcumque etiam præ cæteris elegistis pro vera & universali Menstrui materia in vestrum adhibeatis usum, in qua eligenda amplius non errabitis; périnde enim est, ac si ex Auro seu Mercurio; an Perlis vel Arsenico; sale Vegetabili vel minerali id conficiatis, modò juxta hoc vel illud Menstruorum Genus procedatis, considerantes tamen cuiusnam usus esse velitis menstruum, ne Essentiam pro Magisterio, vel Venenum pro Antidoto præparetis: E contrario recipite Mel purum adeo à Paracelso decantatum; vel sal Tartari à Ripleo commendatum; vel sal commune à Paracelso pro metallorum matrice æstimatum; vel Vitriolum Auri Tincturâ scatens à Basilio laudatum; vel Argentum vivum ut apertum metallum à plurimis Adeptis habitum: Recipite inquam istorum quodlibet, & sciatis istud vobis minime suffici nisi Vini Philosophici spiritu conjunctum, id est, correctum, exaltatum & graduatum.

Men-

Menstrua quacunque etiam præparari methodo.

**V**ARIAS hic habuistis præparandi methodos, quæ si vobis non sufficiant, vel placeant vobis novas excogitetis. Nihil hic subjacet secreti, modo materia vestra & spiritus Vini philosophici absque ullo posse separandi commisceantur, & destillentur vel ex parte; vel ex toto, per Alembicum. Unaquæque enim materia, methodo qualibet, Vini philosophici spiritu volatilisata & destillata Menstruum est.

Menstrua ad quaecunque quoque usum esse sufficientia.

**S**piritus Vini phil. ut & plurium Menstruorum usum in ipsis Menstruorum confectionibus jam modò observasti in hoc libro; in posterum libris sequentibus hæc ad quamcunque necessitatem satis esse animadvertis.

His mediantibus omnia Adeptorum componetis Medicamina; omnia metalla reducetis in Argentum vivum currens, vel si malletis in ipsum Philosophorum mercurium, sive primam metallorum materiam.

His conficietis tam universalia quam particularia metallorum transmutativa, ratione altioris Tincturæ, abbreviati temporis & exquisitoris laboris omnium optima. His tandem præparabis quicquid etiam curiosum ab Adeptis nobis relictum est & præscriptum in suis libris, ita ut si quædam absque spiritu Vini phil. ab Adeptis præparata fuerint, eisdem absque omni damage carere possimus. Menstrua enim hæc, omnia volatilisant fixa;

( 334 )

volatilia verò & volatilisata fixant : Coagulata dissolvunt ;  
dissoluta coagulant : Paucis quibus omnes Chymiae secretioris  
comprehenduntur operationes.

Multitudine menstruum diversarum  
obedientia 6.

### Menstrua esse multa.

**V**aria Menstruorum observasti ad varios & destinatos usus  
destinata Genera. Menstrua Vegetabilia simplicia extra-  
hunc potius quam dissolvunt corpora. Composita dissolvunt totum,  
non extrahunt : Hoc quod Menstrua Vegetabilia faciunt ; mine-  
ralia efficere nequeunt, & vice versa. Menstruis Vegetabilibus  
solummodo consciuntur Medicamina, non Venena : At menstruis  
mineralibus Venena tantum, & non nisi singulari Artis dexter-  
itate Antidotata. Usus diversus & sibi contrarius nullum admittit  
Menstruum universale. Spiritus Vini phil. universalis quidem  
est horum omnium materia, at ex omnibus Menstruis nullum da-  
tur ad quamcunque necessitatem sufficiens, propter quod, nisi eo-  
dem nomine singula dicere velitis universalia, quod ex spiritu  
Luminis, universalis omniam Basí confecta sint omnia, universale  
negandum est Menstruum.

7.

### Menstrua quædam esse Corrosiva.

**M**enstrua mineralia corrosiva esse, proptereaque corpora cum  
effervescentia dissolvere, ex predictis clare patet Recep-  
tis. Nolite, forsitan de Adeptorum contra aquas fortes, om-  
niaque Corrosiva passim declarantium dictis non satis instructi,  
ea vel spernere, vel de eis male sentire. Haec illa sunt Men-  
strua, quibus Adepti antiqui tempora & labores abbreviarunt in  
suarum Tincturarum præparationibus ; & Paracelsus Arcanoram  
Monarchatum justo sibi titulo vindicavit, dum non solum ab-  
bre-

breviationibus alchymicis, extremam ut dicimus manum admodum, verum insuper mineralia hæc menstrua, tanta cum dexterritate in usum medicum introduxit, ut nullam jam amplius artis imperfectionem emendandi spem, discipulis ejus relictam esse videatur, ut libris sequentibus demonstrabitur. Præterea Menstrua hæc à Menstruis Vegetabilibus non differunt, nisi quod eis vel spiritui Vini phil. superadditum sit Acidum; corrodendo Aridum & in minutiores particulas dividendo, Oleoso viam sternens, ut citius & melius coire & permisceri queant, quæ tam remoto & dempto Acido in pristina redeunt Menstrua Vegetabilia.

## 8.

### Menstrua esse permanentia imò figi una cum rebus dissolutis.

**T**am spiritum Vini philos. quam Menstrua ex eo confecta adhærere rebus in eis dissolutis ex superioribus constat Menstruorum descriptionibus. Nullum sane est Menstruorum excellentiam melius confirmans argumentum, quam quod homogenea sint & permanentia cum rebus dissolutis; adeoque dissolventia cum dissolutis in tertium quid ab utroque differens, transmutabilia. Tantum itaque abest, ut Menstrua hæc sunt immutabilia, ut etiam secundum totius Philosophorum Turbae edictum: Scilicet, Dissolutio corporis est Coagulatio spiritus & vice versa. Nihil in Chymia Adepta sit infallibilis. Hanc autem Menstruorum permanentiam non solum observasti in Menstruorum volatilisationibus sed quorundam etiam fixationibus, ita spiritus Vini phil. fixationem habuisti in Circulatis majoribus noni & vicefimi secundi Generum; sed plures invenietis tam in Medicamentorum quam Tincturarum Confectionibus. Male per analogiam veterum dicerentur Menstrua, nisi etiam transformentur in Embrionis substantiam, & propriam præberent infanti nutritionem & augmentum. Spiritus Vini nostri totus quidem oleosus est, id est, combustibilis, at hic atidis intimè

con-

commixtus , fit incombustibilis , ignisque spernit violentiam : Hamidus est etiam , adeoque fixationis incapax ; ast partes quas continet humidiiores & tenuiores separantur in fixationis opere à particulis magis oleosis jam concentratis . Ità observasti spiritum Vini phil. ut & Menstrua tam Vegetabilia quam mineralia in Salium harmoniacorum vel Sulphurum Naturæ præparati- nibus pro parte redigi in Aquam insipidam ; pro parte vero rebus adhærere in fundo relicta , & figi . Sed Exempla præstan- tiora habebitis tam in secundo quam tertio libris .

## 9.

Menstrua dissolvendo non satiari , sed avidiora potius fieri , adeoque per dissolutiones tam in quantitate , quam qualitate augmentari .

**S**PIRITUS Vini nostri , etiamsi omnium sit Menstruorum , Medicamentorum , Tincturarum alchymicarum & Lapidum pretiosorum Basis , Radix , & Centrum ; nihilominus tamen se gniter , imò corpora tantum sibi homogenea utpote pure Oleosa , at ipse purum Oleosum ; dissolvit , idemque sibi associat , & in suam propriam transmutat naturam , adeoque sese hoc multiplicat modo . Quamprimum autem spiritus hic in arido-oleosum fuerit transmutatus , sub nomine Menstrui Vegetabilis simplicis dissolvit Arido-oleosa , id est , Sulphura vel Tincturas Regni mineralis , Arido puro in forma pulveris albi intacto & relicto , quibus Es- sentiis dicta Menstrua ceu Essentiæ colliguntur quidem , minimè vero satiari possunt , quia partium consimilium additio & multiplicatio est . Eadem autem Menstrua Vegetabilia ex simplici- bus jam composita , non extrahunt amplius Tincturas & minera- lium Essentias , sed totam horum corporum molem seu substantiam in oleum supernatans solvunt & transmutant , id quod Magiste- rium dicitur , hoc autem unà cum suo menstruo digestum tandem coincidit . unum sit , & menstruum vegetabile compositum inde mul-

multiplicat. Tyronibus pro Exemplo; spiritus Vini phil. primi Generis Menstruum, acuatur oleo Nucis moschatæ, & hinc sit secundi Generis Menstruum; vel acuatur Melle, si velis menstruum tertii Generis: Quodlibet istorum menstruorum destillatum sale armoniaco vulgi & habebis menstruum quarti; sed si desideres aliquod quinti Generis, alterutrum cohoba cum sale Tartari, & accipies Acetum acerrimum Riplei; vel cum sale communi, & conficies sal circulatum Paracelsi. Aceto vel sale hoc cohoba Mercurium aliudve metallum per Alembicum, & menstrua hæc vegetabilia simplicia transmutabis in menstrua vegetabilia composita octavi Generis; ex quibus decimi Generis ultrius præparabis Menstrua solvendo & volatilisando in eis aliud quodvis metallum. Eandem habeas rationem de Menstruis mineralibus nostris. Communia vero ultrà modum sue receptivitatis recipere nequeunt.

## IO.

Menstrua hæc insimul esse secreta  
libri secundi.

**N**ihil esse inter Menstrua Vegetabilia, quod non sit vel Essentia, vel Magisterium in hoc libro observatis, & fuisse in medicamentorum ibidem præparationibus demonstrabitur. Menstrua verò mineralia eadem esse Medicamenta Acidis permixta & dissoluta; ex supradictis etiam annotatis eorum Receptis, præsertim cum sequentibus medicamentorum descriptionibus collatis.

## II.

Menstrua hæc insimul esse secreta  
libri tertii.

**M**enstrua simplicia esse Philosophorum Lapidés nondam fermentatos: Composita autem esse Menstrua masculina

X X se-

( 338 )

semine commixta , adeoque L apides volatiles & fermentatos  
partim modo clarum est ex eorum Receptis partim clarius ex se-  
cretis libri tertii.

I2.

Menstrua hæc insimul esse secreta  
libri quarti.

**M**ENSTRUA hæc noctu lucere adeoque Lumina perpetua :  
Præbere etiam materias pro perlis & lapidibus pre-  
tiosis , &c. ipsa indicant Recepta , quod confirmabitur libro  
quarto.

## R I P L E U S.

*Cap.XIII. Philorcii.*

Absque his Aquis parum proficimus in  
hac Arte , & qui has Aquas ha-  
buerit , de Artis complemento  
nullatenus dubitabit.

*Finis Libri Primi.*